

20

DE
DIFFERENTIIS QVIBVSDAM IVRIS
FVGAM INTER ET EMIGRATIONEM
TAM VOLVNTARIAM QVAM COACTAM,

PAVCA DISSERIT,

SIMVLQVE

AD DIEM NATALEM
NOSTRI SERVATORIS

PIE CELEBRANDVM,

O. O. CIVES ACADEMICOS

ADHORTATVR,

HOC TEMPORE ACADEMIAE RECTOR,

WALTER VINCENT WIESE

I. V. D. ET P. P. O.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

DIFFERENTIIS QUADRATIS
VAGANTER ET EMIGRANTER
IN VITAM QUAM COACTAM
PACIS DISPELLIT

PRIMUM

AD DIEM NATALEM
NOSTRI SERVATORIS

PER CELEBRANDAM


O. G. GIES ACADEMICOS

AGGREGATA

HOC TEMPORE ACADEMIAE RECTOR

WALTER VINCENT WISSE

H. V. B. T. E. G.



ROSTOCKIENSIS
LITTERIS ABERIANIS





Meditanti mihi initia vitae curriculum IESU CHRISTI SERVATORIS NOSTRI, cuius natalia ad celebranda iam nos accingimus, obvenit fuga ipsius cum matre *Maria* et nutritore *Iosepho*, in primis post ortum mensibus, a *Matthaeo Evangelista* Cap. 2. vers 13. et 14. sequentibus descripta verbis vernaculis: *Da sie* (i. e. magi orientales) aber hinweg gezogen waren, siehe da erschien der Engel des Herrn dem *Ioseph* im Traum und sprach: *Stehe auf, und nimm das Kindlein und seine Mutter zu dir, und fleuch in Egyptenland, und bleib alda, bis ich dir sage. Denn es ist vorhanden, daß Herodes das Kindlein suche, dasselbe unzubringen. Und er stund auf, und nahm das Kindlein und seine Mutter zu sich bey der Nacht, und entwich in Egyptenland.*


Inssu Dei ut haec fuga ab *Iosepho* CHRISTI nutritore, secundum relationem divi *Matthaei* Evangelistae, est facta, ne arripiatur in caede puerorum ab Herode paullo post instituta, utque a *Matthaeo* c. 1. vers 16. est descripta: *Da Herodes nun sahe, daß er von den Weisen betrogen war, ward er sehr zornig, und schickte aus, und ließ alle Kinder zu Bethlehem tödten, und an deren Grenzen, die da zweyjährig und drunter waren,*

nach der Zeit, die er mit Fleiß von den Weisen erlernt hatte; ita saepissime accidit, ut tempore pestis, belli, aliarumque calamitarum aut publicarum aut privatarum, fugam quis instituat, quae quatenus ab emigratione tam voluntaria quam coacta, ratione iuris effectuum differat, iam discutiendi mihi mens est.

Ex idea obiecti utriusque evolvere iam licebit omnes ex eo provenientes iuris effectus, ideoque eam iuste recteque, quantum fieri potest, ante omnia determinare me oportet. Quod ad fugam attinet, mihi iam praecessit beatus PETRVS MÜLLERVS *ICtus Ienensis* in commentat. de fuga, ante seculum, anno scilicet 1678. edita, definiendo *Cap. I. §. 4.* fugam, quod sit *discessus alicuius ad evitandum aliquod malum praesens vel futurum, altero invito ex animo fugiendi susceptus.*


Praemissa hac generali notione diversas enarravit vir beatus fugae species, primo generales, nominando et explicando, duce BALDO in *l. I. C. de aedil. act. n. 8.* fugam voluntariam, causariam, ignominiosam et necessariam, addendoque aliam distinctionem generalem inter fugam licitam et illicitam, ac utramque iterum subdividendo pro diversitate causarum impellentium, quae aut bellum, aut fames, aut pestis, aut tyrannis et persecutio, aut concussio et incarceratio metnenda, hinc locus non tutus, aut saevitia iudicis et suspicio in eum, esse possunt, qua propter LEYSER in comment. de fuga *inculcata, in medit. ad ff. Spec. 638. Med. I.* fugam ex modo recensitis iustis causis susceptam bonam appellavit et honestam, regulisque prudentiae conformem. Hanc ob causam non reprobanda mihi quoque videtur definitio fugae a beato COCEII in *diff. de fuga, anno 1706.* edita, in praecognitis §. 6. his exhibita verbis, *quod sit affectus appetitus concupiscentis cum corporali motu, locique mutatione, ad declinandum mala imminentia coniunctus, licet non negandum, hanc definitionem ad illam domicilii mutationem quadrare, qua malum imminens declinare mens est, absque specifica fugae nota.*

Num vero in magistratum tam militarem quam civilem, officium suum nondum finito administrationis tempore deserentem, cadere possit tam nomen quam poena fugae, ex
idea



idea fugae modo adducta dubitandum foret, attamen claris verbis *Nov. 8. c. 9. et Nov. 95. c. 1. §. 1. ut et Nov. 161. c. 1. atque tot. tit. C. ut omn. jud. sancitum reperimus, quod fugientes omnes appellantur, qui officium magistratus ante elapsam administrationem tempus derelinquunt, immo illos tanquam criminis laesae maiestatis reos plectere iubet Imperator. Eadem poena affici solent monachi monasteria vitamque monasticam deserentes, et plus una vice relatum legimus, quibus vere horridis poenis eiusmodi desertores monastici sunt castigati, de quibus novissima exempla adduxit FIDLER in *Antipapistischen Journal*. Quantum autem eiusmodi modus coercendi fugam monachorum adveserur legibus tam civilibus quam canonicis, liquet ex *Nov. cap. 4. et 6.* ubi praeter satisfactionem Deo praestandam tantum relicto substantiae, quam monasterio acquiri constat, loco poenae dictata, et ex *c. 17. caus. 16. quae. 1.* ubi primo amica admonitio ad reversionem, et deinde ejectio est decreta.*

Licet alioquin ob imminens vitae periculum fuga secundum ius naturae pro licita sit habenda, magistratui tamen urbano et iudici, ut et clericis et medicis speciali salario et iuriurando obstrictis recte denegar beatus MÜLLER *c. 1. §. 56.* licentiam aufugiendi tempore belli, pestis, famis, aliarumque calamitatum publicarum, quae opem et consilia tam magistratus quam iudicis, tam clericorum quam medicorum, plus quam alio tempore pacifico, efflagitant. Quid autem de eo sentiendum sit, quod duce historia literaria de Professore quodam famigeratissimo novimus, qui clam aufugit, dum alibi vocari veniam abdicandi muneris, vocationemque accipiendi frustra supplex petiit, sub iudice quidem lis erit; facilis autem evadet decisio distinguendo, num in litteris operarum conductitiis, vulgo: *die Bestallung*, aut certum officii tempus praefixum, aut resignatio praecedens stipulata sit, nec ne. Priori casu fuga Professoris pro iniusta est habenda, si ante elapsam officii tempus aut ante factam iusto modo temporeque resignationem abiit. In casu posteriori autem nemo quidem academiaram membra ita glebae adscribet, ut ad instar hominum



propriorum perpetuo alicubi commorari cogantur; aut ob pactum Principes inter aut magistratus, omnesque eorum officiales subsistens bilaterale, ac ob iura, quae illos intercedunt aequalia, vi quorum nemo absque iusta causa ab officio dimitti queat publico, l. 2. C. de profess. et med. l. 5. ff. de decr. ab ord. fac. contra voluntatem constituentis vicissim nemini munus abdicare licet publicum, l. 41. C. de decur. l. 20. ff. de off. praes. LEYSER, spec. 62. med. 10.

Nisi fugitivus criminis perduellionis et laesae maiestatis sit reus, l. 5. C. ad leg. Jul. majest. aut crimen fractae pacis publicae commiserit, R. I. de Ao. 1521. Tit. Friedbrecher nicht zu hausen, calculum adicio ill. QVISTORPIO in Grundsätzen des teutschen peinlichen Rechts, §. 57. et 58. solam fugitivi receptionem, absque alio delicti concursu, regulariter a poena immunem esse. Consulto dixi regulariter. Exceptionem exhibent partim publica iudicum aut magistratuum edicta de non celando nec recipiendo sed manifestando reo fuga evadente, partim leges vel statuta particularia, prouti exstat in iure nostro Rostochiensis P. 4. Tit. 9. art. 3. his verbis notatu dignis: *Welcher einem Missethäter heimlich oder öffentlich weghilfet, also daß er zur peinlichen Straffe nicht gebracht werden kann, der soll denen Umständen und der That nach gestrafet werden.* Haecenus bene. Num autem unquam exequi liceat poenam sequentibus huius articuli iuris nostri Rostochiensis verbis praescriptam, in iis certe dubito casibus, quibus poena capitalis immineret reo aufugienti: *Würden aber diejenigen Gerichtsbedienten, welchen die Gefangenen anvertrauet, sich solcher That theilhaftig machen, dieselben sollen, anstatt des Vebelthäters, peinliche Straffe verwürket haben.* Meliora iudico verba statuti sequentia, et ad liberationem et celationem dolosam quoque applicanda, quae ita se habent: *Küme hingegen der Gefangene durch derselben Umständen nach, die sollen gestalten Sachen und Umständen nach, mit arbitrarier Straffe belegt werden.* Convenit haec statuti dispositio cum l. 1. ff. de Receptoribus et l. 1. C. de his qui latron. vel al. crim. reos occult. ubi perinde ac latrones aliique rei ipsi puniri iubentur receptores latronum aliorumque reorum,

rūm, et pessimum genus eam ob causam recte nominantur, quod sine iis nemo latere diu possit. Explicatur autem paulo post mens legum tales annuentium receptatores, qui aut sociarunt, aut pecunia accepta vel subreptorum parte celarunt, aut non deprehenderunt latrones aliosque reos. Affinem vero et cognatum latronis, eumque, qui nihil percepit, lenius punire praecipit *L. 2. ff. de receptat.* Recte exinde colligit STRYK in *U. M. Lib. 47. Tit. 16. §. 1.* tritum illud: *Der Hehler ist so gut, wie der Stehler*, non nisi de societate intelligendum esse, si de dictanda pari cum fure latronoque poena fit sermo.

Quocunque modo et ex quacunque causa fuga sit instituta, ratione effectuum iuris exinde redundantis discernendum mihi videtur, num cum animo mutandi domicilium coniuncta et sic perpetua sit, an tantum temporaria et absque animo mutandi domicilium.

Iosephi CHRISTI nutritoris fugam in Aegyptum tantum temporariam fuisse, tam ex causa ipsius commovente, quam ex iussu DEI per somnium revelato et ab Evangelista *Matthaeo* his enarrato verbis: *Vnd bleib alda, bis ich dir sage*, luculenter apparet. Romanae ecclesiae castra sequentes quidem autumant, hanc Iosephi fugam tam diu durasse, ut facies tam CHRISTI quam *Mariae* eiusdem matris, nigritia aegyptia obductae fuerint, quam ob causam in terris Catholicorum eorumque templis et aedibus imagines CHRISTI infantis cum matre *Maria* mox solito facierum colore, mox nigrae survaeque exhibentur et adorantur, sicuti egomet ipse, per biennium in terris catholicorum Austriacis commorando testis fui, saepissimeque sacris ipsorum, honori *Mariae* dicatis, interesse mihi obvenit occasio, iamiam omnibus licita augustanae confessioni addictis, Immo non erubescunt, solito et communi loquendi usu appellare: *Mariam albam, Mariam nigram*, sicut cuiunque liberum est, devotioni suae pictura aut sculptura dicare aut albam aut nigram *Mariam*. Iuridice certe nihil interesset, num fuga Iosephi per tantos duraverit annos, ut color facierum se mutaverit, cum iura domicilii fuissent servata,



servata, nec ullus unquam, sana dictante ratione, asserere potuisset, Iosephum in Aegypto domicilium fixisse.


Idem quoque obtinet de omnibus aliis, quibus fors est fugiendi aut ob bellum, aut ob pestem, aut ob aliam quamcunque calamitatem sive publicam sive privatam. Sub nomine peregrinorum, advenarum, civium temporariorum et forensium in illis obvenire solent locis, quos ceu tutos commorandi causa sibi elegerunt fugitivi. In contractibus celebrandis et testamentis ordinandis iura loci electi observanda esse, communiter traditur, conf. SCHOTT. *de vi legum civilium in subditos temporarios*. Rectae hoc quoque convenit rationi, si valor contractuum testamentorumque ab eodem examinatur loci iudice. Aliter autem sentiendum est, si testamenta fugitivorum in fuga forte demortuorum a iudice domicilii aut rei sitae aut hereditatis examinantur iacentis. Tunc enim sollemnia domicilii, rei sitae et hereditatis attendenda esse, exemplis et praeiudiciis sat congruis demonstravit HARTLEBEN *in meditat. ad pandectas spec. 9. med. 6. et 7.* Iuste recteque ergo ex hoc colligere licet argumento, ut quantumcunque duraverit fuga temporis spatium, et licet cum tota quis aufugerit familia, iura tamen domicilii semper maneant facta rectaque, ita ut tam in hereditatibus quam in iuribus connubii non iura loci fugae, sed iura domicilii ordinarii sint observanda.

Quae cum ita sint, operae pretium erit, adhuc pauca de domicilii mutatione tam libera quam coacta, et quomodo haec ultima species differat a fuga, disserere. De libera domicilii mutatione, deque eo, quid in illa iuris sit, iam commentatus est beatus huius urbis Consul et academiae Professor IACOBVS HENRICVS BALEKE in opello juridico anno 1765 edito, *de iuribus ex mutatione domicilii maxime intuitu coniugum resultantibus*. Sicuti in hac commentatione de casibus actum est civilibus, ita quid de jure criminali circa fugam mutationemque domicilii accidere possit notatu dignum, egregie exhibuit ill. QVISTORPIVS in *Beyträgen zur Erläuterung verschiedener, mehrentheils unentschiedener Rechtsmaterien, Part. 2. p. 92.* ubi quaestionem ventilavit practicam: *Ob und in wie ferne die*
Ver-

Veränderung des Aufenthalts als ein Verbrechen anzusehen sey, und welche Strafe deshalb statt finde. Praeuntibus his Iureconsultis patriis clarissimis, atque ab illis citatis auctoribus exteris maximorum etiam nominum, tanto mihi erit facilius, praemisissis quibusdam generalibus, iura evolvere domicilii mutationem, tam liberam quam coactam, concomitantia. Optime legum verbis definiendum est domicilium, quod sit locus, ubi quis lares rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet, l. 7. C. de incolis. Animo sedem fixam alicubi habendi, haec omnia contineri, nemo non intelliget. Prouti ergo hic animus diverso modo declarari potest, ita etiam diversus exinde nascitur modus constituendi domicilium. Simul ac expressa adest mentis declaratio, res omni caret dubio, et statim omnes adfunt iuris effectus ex domicilii constitutione redundantes. Quod ad tacitam atinet mentis declarationem, et leges ipsae et earum interpretes ex analogia legum ratiocinantes facta ponunt, ex quibus tacita habitandi voluntas colligenda, quorsum referunt, si quis maiorem bonorum partem ibi possidet, ubi assidue versatur, l. 2. C. ubi senat. aut si diu in aliquo loco versatus est, l. 2. C. de incolis. Contrarium vero adsumendum esse, si quis tanquam transfuga necessitate belli, pestis, aliarumque calamitatum alicubi versatur, tam ex antecedentibus liquet, quam ex art. V. §. 37. I. P. W. apparet. Pari ratione ex personae conditione desumi licet, animum sedem fixam constituendi deficere, quorum exempla in officiali Principis negotii sibi demandati causa alicubi commorante, et in studioso academiam per aliquot annos frequentante a MEVIO Part. 5 §. 5 Dec. 162. recensita exstant. Tempus alioquin decennale ad constituendum domicilium sufficere, communiter affirmant DD. conf. COTHMANN Vol. I. Resp. 21. n. 64. et non sine ratione, cum hoc temporis spatium expressis l. 2. C. de incolis, verbis statutum est. Ast ad certum tempus non restringendum esse arbitrium iudicis, ex variis circumstantiarum generibus domicilii constitutionem argumentantis, recte demonstravit LEYSER in medit. ad ff. spec. 72. medit. 1. Porro ad facta tacitam domicilii constitutionem exhibentia refertur, si quis immobilia

B

ibi




ibi emerit, ubi commoratur. BRUNNEMANN ad l. 2. C. de incolis. Reliqua eiusmodi facta in l. 27. §. 1. ad municip. his suppeditantur verbis: Si quis negotia sua non in colonia, sed in municipio semper agit, in illo vendit, emit, contrahit, eo in foro, balneo, spectaculis utitur, ibi dies festos celebrat, omnibus denique municipii commodis nullis coloniarum fruitur, ibi magis habere domicilium quam ubi colendi causa diversatur. Extra casum fugae haec facta ad inde colligendam tacitam domicilii aut constitutionem aut mutationem sufficere, nemo certe dubitabit. In fugiente autem longam adesse exceptionem, sana iam dicitur ratio.

Quaestione: constituitne quis domicilium? affirmative decisa, varii inde oriuntur effectus. Primarius est, quod in regula fortiatur quis forum illius loci privative in personilibus. Dixi in regula. Exceptio enim in aprico est in personis ob natales, dignitatem et officia, quibus praesunt, exemptis. Hae personae gaudent plerumque privilegiato foro et subsunt iurisdictioni Principis, dicasteriis provincialibus demandatae. Caeteroquin extra controversiam est positum, quemque secundum statuta eius loci, cuius forum agnoscitur, diiudicandum esse, BOEHMER de natura statutorum Cap. II. §. XII. sive exercit. ad ff. exercit. XV. Lib. I. Tit. III. pag. 663. PUFFENDORFF observ. iur. univ. Tom. II. observ. XXVII. pag. 116. nisi lege particulari cuiusdam civitatis aliud sancitum sit, uti invenimus respectu nobilium hic Rostochii habitantium Senatusque urbici iurisdictioni subjectorum in Spho 433. des Landesgrundgesetzlichen Erbvergleichs, his verbis: Schließlich sollen die in der Stadt Rostock wohnende, oder sich aufhaltende von der Ritterschafft, nach der zwischen beyden erfolgten Vereinbarung, nicht unter dem Lübschen Recht, sondern unter dem gemeinen Kayserlichen und unserer Lande Rechten stehen, folglich in vorkommenden Fällen blos darnach geurtheilet werden. Idem obtinet in Senatoribus huius urbis literatis et promotis, quippe qui ante receptionem in Senatu, literis uti vocantur reversalibus, iurisdictioni quidem Senatus se subicere, atque honores proëdriae secundum ordinem receptionis se tantum recepturos esse promittere solent; aut iura communia respectu immunitatis

tatis

tatis et successionis sibi reservant. Extra hos casus exceptos omnia negotia ad inhabitantis personam attinentia secundum sententiam statutorum fori, cui subest, diiudicanda esse, nullus dubito. Quod autem bona ipsius attinet, mobilia aequae ac immobilia sub eodem foro domicilii sita iisdem, quibus persona ligatur, subiicere legibus, nemo inficiabitur. Quae vero immobilia alienae subsunt iurisdictioni, alienis quoque diiudicantur iuribus. Quidquid de foro hereditatis universalis dicant alii, et in bona immobilia alibi sita etiam secundum statuta loci, ubi defunctus domicilium habuerit, succedendum esse statuant, inter quos eminent STRYK *de success. ab intest. diss. 4. Cap. 4. §. 4.* HARTM. PISTORIS *obs. 23. n. 3. et seqq.* BERGER *in elect. discept. for. ad Tit. 45. obs. 6. n. 4.* MENCKEN *de statutis civitatum provincialium in successione ab intestato ad bona etiam alibi sita secundum ius civile extendendis §. 10. et seqq.* Contrarium tamen verius esse e natura rei sitae, et ob duplicem, quam defunctus gesserit personam, persuasum mihi habeo, duce MEVIO *ad ius Lub. Lit. II. Tit. II. art. X. n. 25.* ita commentante: *circa immobilia bona aliud ex ratione iuris receptum est. Nempe ea non perinde conditionem et iurisdictionem domini, cuius sunt, quando is alibi domicilium habet, sequuntur, sed ut iurisdictioni loci, in quo sita sunt, ita etiam eiusdem statutis moribusque subiacent.* Cui quoque assentiant KOEPPEN *in decis. 31. n. II.* CARPZOW *L. 6. R. 39. n. 8. et P. III. Const. 20. §. 19.* SCHVREE *Conf. 56. n. 1. et 2. Cent. 1. de WERNHER in sel. obs. for. Vol. IV. P. 6. obs. 258.* HUBER *in posit. ad Pand. Tit. de legibus, §. 22.* Secundum ius patrium Megapolitanum haec ultima sententia tanto magis praevalet, quo evidentius in art. 27. *Reversalium de anno 1621.* sancitum reperimus, non iura domicilii, sed rei sitae in successione feudali observanda esse, hisce nempe verbis: *Endlich wollen wir, da einer unser Lehen-Leute, der nicht in unsern Fürstenthümer und Landen häuslich geessen, ohne männliche Leibes-Lehen-Erben Todes verlassen, und allein Töchter hinter ihm verlassen sollte, daß dieselbige weniger nicht, als wann der Vater unter unser Bothmässigkeit sein Domicilium und stetiges Anwesen gehabt, obberührtes Privilegiü fähig seyn, nutzen und genießen sollen und mögen.*



Hoc quoque de veris non solum immobilibus, sed etiam de quasi immobilibus valere, ex eo recte iudicavit MEVIUS ad ius Lub. Lib. III. Tit. I. art. 10. n. 56. quod de tabernis amplisque negotiationibus a mercatore in diversis locis institutis allegavit, recteque iura cuiuscunque loci observanda collegit.

Idem fere modi, quibus domicilium nos figere posse, iam probatum est, in mutatione domicilii eveniunt, quippe quae nihil aliud est, quam constitutio novi domicilii, quae utrum fiat plane exeundo e pristino habitationis loco, an vero adiungendo novum veteri, probe distinguenda est. Quis enim est qui dubitat, quemdam duo possidentem praedia in diversis territoriis sita, in utrisque domicilium ita constituere posse, ut per aliquot menses in hoc, per reliquum anni spatium in illo habitet praedio, aut ut verbis legum utar, si quis duobus locis aequaliter instructus est, ut ibi habitet, utrobique domicilium habet, l. 6. §. 2. l. 27. §. 2. ff. ad municip. quae ultima lege quaestio elegans est ventilata et decisa, num quis absque domicilio esse possit. Affirmanter respondit VLPPIANVS addito casu, si quis domicilio relicto naviget vel iter faciat, quarens quo se conferat, atque ubi domicilium constituat. Extra hunc casum omnes mercatores minutarii, caeterique circumforanei, qui omnes fere Germaniae nundinas frequentant, absque certo plerumque deprehenduntur domicilio, adeoque iisdem incertis et variis utuntur iuribus, quot variis subiciuntur foris, prout recte observavit THOMASIVS in diss. de eo qui est sine domicilio c. 1. §. 14.

Inter effectus mutatione domicilii exortos eminet, quod ius civitatis relictæ amittat civis abiens, PVEENDORFF c. l. observ. LXXX. §. IV. pag. 197. et cum tota familia iurisdictioni et iuribus illius loci, ubi novas figit sedes, subiciatur, l. 29. ff. ad municip. Iura itaque personae et quae personam sequuntur familiae bonorumque mutari, indubitate sequitur. De iure Lubecensi hoc omni caret dubio, dum Part. II. Tit. II. art. X. expressis sancitum est verbis: *Würde ein fremder Mann alhier in diese Stadt kommen und sich alda setzen, und derselbe wäre*

wäre seinen Kindern Erbschickung zu thun schuldig; hätte er nun dieselbe nicht gethan, ehe und bevor er in das Lübsche Recht kommen, so muß er nach der Zeit mit seinen Kindern theilen, als Lübschrecht ausweist. Es wäre dann, daß er zuvorn solche Erbschickung zu thun sich vorn Rath und Gericht an den Oertern, da er theilen sollen, und ehe er sich in unser Jurisdiction gesetzt, verpflichtet hätte. Iure nostro Rostochiensis non solum repetita et stabilita haec sanctio est in Art. XXVI, Tit. II. Part. II. sed etiam, quae alioquin adfuerunt dubia, per additamenta ad vocem: wäre: wegen einer in dem vorigen domicilio obgewalteten Gemeinschaft der Güter, et ad vocem: Kindern: so weit es diesen vortheilhaft und nicht schädlich ist, prorsus sublata sunt.

Num autem protestatio, quam modo descripti articuli iuris Lubecensis et Rostochiensis permiserunt, de iure etiam communi fieri possit, ex eo dubitandum mihi viderur, quod nullibi id inveniamus sancitum, sed potius, uti antea probavi, quemcumque loci inhabitatorem illius fori statutus ligari, dispositum reperiamus, quibus se eximere nemini certe privato ansu licebit, quamvis non dubitandum, Principem aut magistratum iure leges ferendi insignitum legis hujus gratiam facere et hunc defectum supplere posse. Immo ne hac quidem protestatione opus esse coniugibus ratione communionis bonorum semel initalae, nuperrime defendit GILDEMEISTER in progr. de communiione bonorum inter coniuges legitima, mutato domicilio non sublata.

Quum tanti a constitutione et mutatione domicilii dependant effectus, magni certe momenti et summi interdum praeiudicii transplantationem domicilii esse, nemo non intelliget. Sentit id non tantum paterfamilias, sed et tota eiusdem familia. Ratione uxoris res est in aprico. Illam domicilium mariti sequi debere, eiusdemque forum sortiri, non solum est iuris naturae, conf. GROTIUS de iure belli et pacis Lib. II, Cap. V. §. VIII. pag. 450. PUFFENDORFF de iure naturae et gentium. Lib. VI. Cap. I §. 10. pag. 811. sed etiam iuris positivi secundum l. 13. C. de dignit. l. f. §. 3. ff. ad munic. l. 19. ff. de

de iurisd. Dantur tamen casus, quibus uxor maritum aliunde migrantem sequi non debeat, quorsum potissimum referuntur: Si pactis dotalibus aliter sibi prospexerit uxor, BOEHMER in *introduc.* in *ius Dig. §. ult. de ritu nupt.* Licet enim dissentiat STRYK in *U. M. §. 49. de ritu nupt.* asserendo, pacta dotalia in casu iustae et inopinatae causae supervenientis maritum non impedire, quo minus domicilium mutare queat, eumque praecesserit MEVIVS ad *Ius Lubec. Lib. I. Tit. 5. art. 10. n. 66.* qui eiusmodi pactum tempore initi matrimonii forte factum, quo maritus se certo loco cum uxore commoraturum promiserit, tanquam contra bonos mores et reverentiam maritalem pugnans declarat, uxoremque, hoc pacto non obstante, ad maritum sequendum condemnat. Utramque tamen sententiam in eo conciliandam esse existimo, quod persona uxoris probe distinguitur a iuribus eiusdem. Qua personam scilicet, pactum eiusmodi matrimoniales ideo declarant irritum, quod finis matrimonii primarius in procreatione et educatione sobolis, et individua vitae consuetudine positus infringere, et ad separationem coniugum illicitam via aperiretur. Quoad iura vero mutatione domicilii alias amittenda pactum illud plenissimam retineret obligandi vim, et iniquissimum certe foret, uxori ius ex pacto quaesitum adimere, et obtorto illam collo legibus subicere peregrinis sibi suisque illatis haud parum nocivis, BOEHMER de *efficacia pactorum illustrium contra tertium §. 4. et seqq.* Idem quoque dicendum foret, si vel statim post nuptias in foro domicilii uxoris celebratas, inimicitiae aut aliae separationis causae orirentur, vel mors uxoris inopinata nuptias tam cito subsequeretur, ut matrimonium dissolutum jam esset, antequam lares uxor deseruisset priores. Tunc enim ad forum initi matrimonii tanquam forum contractus, non vero ad forum domicilii mariti respiciendum esse in adiudicanda et distribuenda hereditate uxoris demoruae persuasum mihi habeo, quidquid dicat LAVTERBACH de *domicilio cap. 2. §. 73.* qui uxorem statim quam nupta est, etsi in civitatem mariti nondum pervenerit, domicilii mariti subiacet iuribus.

Inter

Inter iustas domicilium a marito electum repudiandi causas porro refert ZANGER *de exceptionibus Part. 2. cap. 1. n. 65.* si maritus in bonis domoque remanet uxoris, vulgo; *der zu seiner Frau sich einheirathet*, hocque casu maritum uxoris domicilium sequi debere existimat, cui et LEYSER *Spec. 72. cor. 3.* adeo adsentitur, ut in domicilio uxoris marito non opus esse putet, ius civitatis acquirere, nec ea, quae a civibus novellis praestantur, praestare. Cui ultimae sententiae licet praxis contrarietur, in eo tamen casu ZANGERO calculum adicerem, quo aut uxor perpetuum sibi stipulata esset domicilium hucusque solitum, aut dispendium fortunae verosimiliter metuendum foret in novo a marito electo domicilio.

Pro alia adhuc reputatur iusta sequelam mariti recufandi causa uxoris, si maritus relegatus vel bannitus sit. CARPZOW *quaest. 130. n. 60.* et sqq. aliique DD. e contrario asserunt, uxorem delictorum mariti licet expertem, eundem tamen sequi debere, quibus et ego adsentio, addita modo restrictione, nisi delictum tale sit, quod ob vocem biblicam *רוצוציא*, divortium mereatur, quo casu uxori, se ab obligatione sequendi maritum per divortium liberare, licebit. Generaliter igitur applicanda mihi videtur sententia MEVII c. 1. his prolata verbis: *unde non immerito distinguitur inter necessarias migrandi causas et malitiosas, item inter sequelam uxoris decoram et turpem. Ex istis ad istam, nunquam ad hanc coniugem obligari, recta ratio monet.*

Maximum, quod uxoribus imminere potest damnum, circa mutationem domicilii a marito factam, ex eo eminent casu, quo quis scilicet hucusque locum inhabitans, ubi secundum ius commune tantum absit, ut uxori onus debita a marito contracta solvendi incumbat, ut potius respectu dotis et illatorum iure praelationis gaudeat, lares eo transfert, ubi communio bonorum viger, vi cuius uxor prole ditata mariti debita eventualiter ex dote et illatis solvere debet, Nisi hoc casu uxor bene sibi prospiciat, per legem 65. ff. de iudic. his condemnabitur verbis: *exigere dotem mulier debet illic, ubi maritus domicilium habuit, non ubi instrumentum dotale confectum, et l.*

42. ff. eod. si uxor a legato Romae diverterit, dotis nomine Romae defendendum virum esse, responsum est. Ex hisce legibus quae argumentati sunt per plures iuris romani et germanici doctores, obligationem uxoris ad solvenda ex illatis debita, mariti etiam ante communionem initam contracta, inter quos eminent LAVTERBACH de aere alieno in societate contracto §. 10. BOEHMER de communiione aeris alieni inter conjuges, COCCETTI in exercit. curios. Vol. I. Cap. III. pag. 651. GORIS de Societate coniugali Cap. IV. n. 3. STEIN in der Abhandlung des Lübschen-Rechts, Part I. Tit. IV. §. 132. n. 8. ENGELBRECHT de mutuo coniugum concursu ad solvendum aes alienum ab alterutro ante nuptias contractum, §. XVI. et sqq.


Ad evitandum hoc grave uxoris praedictum textus iuris Lubecensis paullo ante allegatus et descriptus remedium protestationis et iurium anteriorum reservationis quidem exhibet, sed vereor, ne hoc fragile hominum genus, iuris ignorantia maxime dotatum, atque iurium peritos ab ipsis consulendos esse aut nesciens aut negligens, plerumque huius iuris beneficii expers reddatur. Tanto salubrior est dispositio iuris statutarii Rostochiensis Part. I. Tit. 5. art. 8. hisce contenta verbis: *die Schulden aber, die vor der Ehe von dem Manne gemacht sind, ist die Frau zu bezahlen nicht schuldig.*

Praeter damnum positivum iam iam expositum, etiam damnum privativum uxori ex mutatione domicilii ex eo venire potest, quod e contrario maritus locum deserat, quo portio statutaria coniugi superstiti assignata est. Translatis enim tunc laribus ad locum iuris communis, uxorem hac portione statutaria privari, recte docuit beatus BALEKE c. l. Sect. 2. §. 37. Num autem remedio protestationis et reservationis sibi eodem, uti in iam dictis evictum est, modo prospicere queat uxor, alia iam est quaestio, tamdiu, me iudice, affirmanda, donec per statuta contraria aliud sit sancitum. Turissimam tamen uxor ambulat viam, aut consensum mariti in protestationem et reservationem suam sibi procurando, aut pactum cum ipso ineundo, quo pristina iura respectu portionis statutariae sibi stipulatur. Tunc enim per pactum quasi successio-

rium

rium inter ipsos coniuges in initum portio statutaria est irrevocabilis. Respectu liberorum aliorumque heredum eiusmodi pactum nullis indigere solemnitatibus, et solo subsistere mutuo coniugum consensu, mihi videtur indubitatum. Respectu exterorum autem, e. g. creditorum, nullus recte valet discessus conventionalis a iuribus domicilii, nisi pactum istud iam iudiciali auctoritate sit confirmatum, quam publici iuris factum. VOGT *de communione bonorum inter coniuges eiusque effectu praesertim secundum iura Lubecensia* §. 19. KROHN *de bonorum inter coniuges Hamburgenses communione* §. 57. BALEKE *c. l. Sect. III. §. 57.* quidquid dicant MEVIVS *in comment. ad ius Lub. Lib. I. Tit. 5. art. 7. n. 81.* BOEHMER, *de communicatione aeris alieni* §. 8. NETTELBLADT *de portione coniugum statutaria* Cap. 3. §. 16. ZERRAHN *de communione bonorum coniugali secundum ius Lubecense consideratum* Cap. 2. §. 16. et 44. Iure nostro Rostochiensis necessitas confirmationis iudicialis et publicandi pacti inter coniuges de abrogando inter se statuto, cui alii intersunt cives, in inito, ex art. 6. Tit. 5. Part. I. iuris Rostochiensis hisce constat verbis: *Diese eheliche Gemeinschaft der Güter mag durch keine unter sich gemachte Verträge aufgehoben oder eingeschränket werden, wo sie nicht gerichtlich confirmiret und öffentlich kund gemacht worden.* Sicuti autem coniuges se suaque iura protestatione aut pactis iudicialiter confirmatis et solemniter publicatis tueri possunt: ita creditorum quoque est vigilare, ne debitor cum uxore e loco, ubi communicio bonorum valet, prius emigret, quam aut ipsis satisfecerit, aut cum uxore promiserit, se respectu creditorum iam exstantium communionem bonorum continuaturum esse. Alioquin certe experientur creditores, uxorem debitoris sub clypeo mutati domicilii se ab onere solvendi debita a marito contracta liberare velle.

Pari ratione etiam liberis, et his non existentibus, consanguineis proximis magni est momenti mutatio domicilii a patrefamilias facta. Extra successionem feudalem, secundum iura rei sitae immutabilem, reliquum ius et spes succedendi pro diversitate legum in foro mutati domicilii usu receptarum




rum vel imminuuntur vel augentur. Quae patri quoque matrique familiae competunt beneficia protestationis et reservationis nec a liberis nec a consanguineis in usum sunt deducenda. Tota ergo ipsorum fors a consilio patrisfamilias in eligendo novo dependet domicilio, quod si coactum existeret, pro illis tanto lugubrius foret. Absque gravi certe causa nemo unquam incommoda sumtusque mutationi domicilii annexos subiturus est, praesertim cum constet, quantum fides mercatoris et opificis periclitetur, qui mox hic, mox illic, sedem figit, creditoresque hac vacillatione commover, ut pecunias ipsi creditas, non solum ob metum dilapidationis, sed etiam ob difficiliorem conventionem, rursus exigant, fidemque alioquin habitam retrectent. Non nunquam exinde accidit, ut transfugae, relegati, aut aliae calamitatis causa patriam deserentes, in litteris missis continuatum in patria domicilium simulare soleant. Falsi crimen ex hoc desumi liceret, nisi ex intentione aliud elucesceret, et animus reservandi iura patriae eodem appareret modo, ac per remedium protestationis fieri posse, supra jam demonstratum est.

Quum tantum mutationi domicilii insit felicitatis pondus, haud raro Imperantem inter et subditos oriri ex ea solet contentio circa limites libertatis transferendi domicilium, et iuris prohibendi hanc libertatem. Optime vero hae lites erunt componendae, recte dererminando tam ideam controversiae, quam circumstantias ius factumque saepissime mutantes. Utrumque ut rite fiat, ante omnia probe discernenda est *transmigratio* ab *emigratione*. Per *istam* quis ex uno loco in alterum, eidem subiectum imperio, sedes transfert. Per *hanc* autem quis territorium plane deserendo domicilium mutat. Priori casu ut magistratui tantum inferiori discessum notum faciat civis, sufficere autumo, quia non agitur de eo, quod totius interest reipublicae, sed tantum, quod unam tangit civitatem. Posteriori casu ut ipse Imperans de emigratione certior fiat, necesse esse arbitror. Nexus enim, qui inter Imperantem et subditos intercedit, nimis arctus est, quin unius conatu, inficio plane altero, possit dissolvi, aut ut cum *PVEFFENDOR-*

FIO c. l. L. IIX. C. XI. §. 3. pag. 127. loquar, Imperantis
 plerumque interest, nosse civium numerum. Num autem civi
 emigraturo propositumque rite significanti discessus sit pro-
 hibendus, non aliter affirmare audeo, nisi contigerit, ut civis
 iuri emigrandi renunciaverit, quia notum est, ad iura re-
 nunciata non dari regressum. Exempla existant in monachis,
 per vota legesque monachiales coenobiis ita adstrictis, ut abs-
 que periurio emigrare nequeant. Quid autem, si ad alia velit
 transire sacra monachus catholicus, et religionem augustanae
 confessionis amplecti? Maximo cum fervore haec ven-
 tilata est quaestio in causa famosa *Gerstlacheri*, monasterium
 Bavaricum Beierberg deserentis, et ad Protestantium sacra
 convolantis, cuius totum postea a monasterio occupatum est
 patrimonium, quod eius nepos, intimus nunc Marchionis Baden-
 sis referendarius, reclamare atque sibi vindicare iam stu-
 det. Tituli scriptorum hac occasione editorum iam exhibent
 tam causam quam studium infringendi et defendendi iustitiam
 causae. A parte Gerstlacheri nempe prodierunt tam *Abhand-
 lungen*, quam *Nachlese zu seinen Abhandlungen vom Erbrecht der
 Ordensleute die zur Evangelischen Religion übergehen*. A parte
 monasterii mihi obvenerunt: RÖNEBERGI meditationes de de-
 sertore Catholico ordinis religiosi ad aliam ex duabus religionem
 transeunte, bona et iura quaecunque, quibus votendo renunciavit,
 nec vi pacis Westphalicae, nec alio quocunque titulo aut obtentu
 recuperante. Hisce meditationibus subsecuta est: *dissertatio ex
 actis publicis adornata et praetensionibus Caroli Friderici Gerstla-
 cher, Consilarii aulici Badensis, opposita, qua demonstratur, a reli-
 gioso professo ad protestantes transeunte, ius haereditarium non
 recuperari*.

Tota eo redundat controversia, num nostra augustanae
 confessioni addictorum religio votum catholicorum monasti-
 cum pro iusto et in perpetuum obligatorio ita habeat, ut nec
 per abdicationem voluntariam, nec per transitionem ad sacra
 nostra isto liberetur transfuga? quam quaestionem, me iudice,
 affirmare non licet.

Secundus casus, quo emigratio iuste prohibenda est, ac-
 cidere potest, si arctiori servitutis aut subjectionis nexu con-
 stri-



strictus est emigraturus, conf. de ICKSTATT in Comment. de iure expellendi et transplantandi subditos diversam a territorii domino religionem amplectentes §. XXX. in opusc. Tom. I. opusc. V. pag. 296. ad quos quoque sunt referendi, qui expresso pacto vel ad tempus vel in perpetuum munus publicum subierunt. Extra hos casus tam abdicatio muneris quam emigratio, religionis causa, cuicumque libera esto. Nec minus emigratio interdicenda est, si dolo malo, intempestive et in fraudem reliquorum, emigrationem moliarur civis, quod accidere solet, si aut magnum contractum sit aes alienum, aut fiducia multitudinis bellum susceptum, praesertim si obsidio immineat, ut docet GROTIUS L. II. C. V. §. XXIV. pag. 480, qui etiam remedia, quibus utraque impedimenta removeri possunt, in eo suppeditavit, ut abiturus pro liberatione sua ab aere alieno publico quotam exsolvat suam, et respectu belli alium aequae idoneum substituat, qui rempublicam defendat. Tandem lex adesse potest expressa, subditorum emigrationem circumscribens, quo casu respiciendum esse mihi viderur, num civis emigraturus tempore conditae legis domicilium iamiam constituerit, an demum post illud tempus sedes fixerit. In casu priori libertas emigrandi ipsi quasi innata adimi nequit. In casu autem posteriori legi isti omnino convenienter vivant cives necesse est. PUFFENDORFF. c. I. §. 2. pag. 1279.

Si ergo iustae iam causae enumeratae adsunt emigrationi civium obstantes, Imperantis omnino est impedire, quo minus fidem civitati debitam violer subditus. Casu autem inverso non extra omnem controversiam posita est quaestio, num Imperans nihilominus subdito emigrationem interdiceret queat. Qui pro affirmante militant sententia, aut ex pacto et subjectionis vinculo, uti de ICKSTATT c. I. §. 25. in opusc. p. 293. aut ex generali civis obligatione ad promovendam civitatis felicitatem, praecunte DARIUS in Instit. iurispr. univ. §. 740. argumentantur. Tantum vero abest, ut hae rationes me convincant, ut potius negans mihi magis placeat sententia. Quis enim est, qui subditos natura liberos ita glebae quasi adscribere velit, ut a solo Imperantis arbitrio dependeat migratio eorum

eorum voluntaria? Sane non leviter libertas naturalis, actiones suas ad sui ipsius, quantum licet, perfectionem dirigendi, cuique homini innata, infringeretur. Iam notum est quam quod notissimum, et ex ante dictis abunde liquet, quanti sit momenti, quantumque perfectionem status nostri nostraeque familiae aut augeat aut minuat constitutio et mutatio domicilii. Idcirco liberam de ea dispositionem non minoris momenti esse, nemini negare licebit. Ut taceam odium commune et legale, quo restrictionem libertatis naturalis nemo non persequi solet, quodque omnem respuit iniustam vim atque coactionem, PRAVN de beneficio emigrandi ob religionem Cap. 1. §. XIII pag. 9. Quae etiam in antecedentibus commemoravi damna et incommoda mutationi domicilii annexa satis cavent, ne quis unquam absque praegnantia causa, et nisi de meliori in novo domicilio fortuna certior sit redditus, sedes mutaturus sit, adeoque durum foret, subditos a promovenda sua felicitate impedire, HERT. in not. ad Puffendorff. c. l. n. a. Recte igitur defenderunt liberam emigrandi facultatem GROTIUS c. l. et PUFFENDORFF. c. l. pag. 1277. cuius verba describi merentur: *Civi si administratio reipublicae displicuerit, nihil aliud relictum, quam patientia aut emigratio.* Tam emigraturo autem decorum honestumque est, quam regulae sanae politiae respectu civitatis, ex qua discessurus est, postulant, notum ut ille faciat animum emigrandi magistratui loci aut per libellum ipsi oblatum, aut per publicum notificatorium, quod a legatis regum ut plurimum publicatur, fidem revertendi, fidemque servandi mens ipsis est, a creditoribus sibi datam. Quod si faciat civis, ab omni se liberat suspitione, clandestino se subtrahere velle consilio censui emigrationis, aliisque praestandis pro more aut lege solvendis. Unica a libero emigrandi iure locum habere videtur exceptio in civibus bello devictis, quos saepe citatus ab ICKSTATT c. l. §. XXXIV. pag. 278. ab hoc civium liberorum iure plane exemit. Nimis autem durum esse, et tam acquitati naturali, quam moribus gentium Europaeorum adversari arbitror, ita in cives inarmatos saevire, ut et libertate civium solita priventur. Raro quoque hoc hodie accidet, cum



plerumque pace bellum subsecuta subditorum devictorum iura privata, ut salva maneant, sibi stipulari solent billigerantes reges principesque, quibus libertas emigrandi omnino continetur.

Quanto luculentius ex praedictis patet, emigrationem civium singulorum, observatis observandis, omnino esse liberam iustamque, tanto maiori subest adhuc dubio, num idem obtineat in emigratione catervatim suscepta. Ante allegari iuris naturae et gentium doctorum patres, GROTIVS scilicet et PUFFENDORFF, magnopere hac in re inter se dissentiunt. Addita tamen hac distinctione reconciliandos esse tantos viros mihi persuasum habeo, an praeter diminutionem numeri civium adhuc aliud reipublicae damnum emigratione catervatim instituta immineat, nec ne? Prius accidere potest in tumultu aut ipsorum civium emigrantium aut reliquorum, non aliter quam prohibita emigratione sedando, quo casu emigrationem gregatim inceptam vel absolute vel ad tempus prohibere posse Imperantem, ipse PUFFENDORFIUS, ut ex suis paullo ante adductis principiis patet, non negat. Extra hunc casum autem ex principio libertatis naturalis circa emigrationem, ab utrisque modo nominatis legum naturalium doctoribus stabilito, colligere licet, idem pluribus licere, quod singulis licitum sit, ac respectu reipublicae unum idemque esse, utrum cives emigraturi concomitando an sussequendo lares transferant.


Nec argumentum pacti et subiectionis vinculi, quod a dissentientibus allegari solet, me aliter sentire commovet, usque dum proberur, pactum eiusmodi expressis continere verbis, subiectionis vinculum perpetuo aut ad dies vitae et ad successores duraturum esse, aut uti TESMARVS in *comment. ad Grot.* c. 1. recte observavit, quod ad formulam iurisiurandi respiciendum sit, sub qua ius civitatis quis impetraverit. In solita iurisiurandi subditorum formula cives aequae minus ad perpetuam subiectionem, cum renunciatione beneficii emigrandi obligantur, ac Imperantes ad perpetuum imperium cum renun-

nunciacione iuris deponendi fasces Imperantium. Tanto liberior manet in regula tam Imperanti ius abdicandi, quam subdito ius emigrandi.

Haud maioris ponderis mihi videtur dubium ex generali civis obligatione ad promovendam civitatis salutem publicam defuturum. Non diutius enim haec durare potest obligatio, quam civis sub tutela civitatis, nexuque cum reliquis manet civibus. Simulac autem utrumque dissolvitur, tollitur etiam obligatio reciproca, ad quam obtorro continuandam collo ne quidem sub praetextu iuris supremae inspectionis et directionis, Imperantibus alias haud denegandae, cogi quis potest, cum libertati civium naturali alioquin nil reliquum maneret, quod sub generali salutis publicae praetextu non adimi posset.

Quousque etiam regulis sanae Politiae repugnet, tam in subditos saevire, ut libertas emigrandi restringatur, recte observavit DE IVSTI in der Staatswirthschaft, Tom. I. S. 331. pag. 299. cuius verba digna sunt, quae heic describantur: *Da die Menschen nichts so sehr, als die Freyheit in ihren Handlungen und Entschliessungen lieben, und da es eine schlechte Vermuthung von der Beschaffenheit der Regierung und dem Zustande des Landes an die Hand giebet, wenn die Vnterthanen gleichsam mit Gewalt von der Auswanderung zurückgehalten werden müssen; so kann daraus nichts anders folgen, als daß wenig Fremde in ein solches Land ziehen werden. Es ist also ungleich räthsam, daß ein Regent den Abzug gänzlich freygiebt, mit der einzigen Einschränkung, daß sich die Abziehenden vorher melden und ihren Auszug anzeigen müssen. Man darf nicht befürchten, daß ein Staat, der eine gute Regierung hat, durch diese Freyheit grossen Nachtheil leiden werde. Es gehöret eine harte Entschliessung und grosse Bewegungs-Gründe dazu, wenn man aus einem Lande in das andere ziehen soll, welches nie ohne Nachtheil seiner äusserlichen Umstände abgethet, und wenn sich die Abziehende vorher melden müssen, so hat der Hoff bey beträchtlichen Personen allemahl Zeit, entweder in ihre Bewegungs-Gründe einzudringen, und denselben abzuhelfen, oder sie sonst durch Gnadenbezeugungen zurückzuhalten.*

Aquo




A quo autem momento quis incipiat esse civis aut subditus, cui incumbat necessitas, discessum sibi propositum aut principi aut magistratui, cui immediate subest, notum faciendi, ante omnia erit discutiendum. Certissimam hoc in bivio eligunt viam, qui momentum constitutionis domicilii aut verbis aut factis declaratae, pro initio iurium et obligationum civi aut subdito propriarum assumunt. Quamvis thesi huic oppugnare videantur, quae de landsassiiis, peregrinatoribus, iisque qui sui non sunt iuris, ut et de illis traduntur, qui absque animo perpetuo ibi permanendi alicubi versantur; regula ramen modo adducta his non infringitur exceptionibus, quin potius firmetur. Respectu landsassiorum enim in plerisque germaniae territoriis aut usu introductum aut lege expressa stabilitum est, neminem praedia sibi acquirere posse, nisi simul subditus eiusdem fiat provinciae, uti de Saxonia, Marchia, ducatu Brunsvicensi, Pomerania, et Megapoli nostra restatus est MOELLER in usu practico distinct. feud. cap. 13. dist. 1. pag. 324. edit. noviss. Horum territoriorum causa invaluit brocardicon: quidquid est in territorio, est etiam de territorio, quod speciali illustravit dissertatione THOMASIVS de hoc themate agens, quem secutus est BECK in diff. de indissolubili fidelitatis et subjectionis nexu, et MENCKEN in diff. de vi superioritatis territorialis in territoriis clausis. In his territoriis tanto minori obnoxium est dubio, quod pag. 12. huius programmatris de iuribus ex duplici domicilio resultantibus exposui. Respectu peregrinantium mihi distinguendum esse videtur, num alicubi sedes iam habeant fixas, nec ne. Si prius, sunt manentque territorii, ubi habitant, subditi. Sin autem posteriori, utuntur iure vagabundorum, si ita loqui licet, sensu generalissimo subditorum ubicumque versantur. Aequae faciliis dirimi potest quaestio proposita ratione eorum, qui sui adhuc non sunt iuris, quippe qui ratione immobilium forum sortiuntur rei sitae, ratione personarum autem eundem venerantur iudicem, cuius foro subsunt aut patres familias, aut heri domestici, aut tutores curatoresque.

Effatum

Effatum GROTII in appendice epist. pag. 670. et 672. Ego existimo, licere Belgis ut et Hispanis patriam derelinquere sine ullis vinculi reliquiis, et praeceptum IUSTINIANI Imperatoris in l. 17. §. II. ff. ad municip. Patris domicilium filium aliorum incolarum civilibus muneribus alienae civitatis non adstringit, cum in patris quoque persona domicilii ratio sit temporaria, quaestionem: num sint natura subditi quidam homines, per modum negandi quidem decidunt, et lubenter, quatenus de regula est sermo, assentio. At legibus regni territoriique fundamentalibus, et per pactum Imperantem inter et subditos initum, aliud sanciri posse, nemo certo dubitabit.

Vicinis aliisque exteris gentibus haud raro utilis est libera subditorum territorii cuiusdam emigrandi facultas, idcirco aut retorsione, aut aliis modis tam imitandi quam vindicandi iniurias, inter gentes liberas usitatis, coerceri solet restrictio libertatis civium naturalis plus iusto saepissime instituta, et maximopere in transplantatione subditorum fieri solita, de qua an religionis causa fieri possit, evincere studuit excellentissimus HERMANNVS BECKER in diss. de imperante subditum religionis causa emigraturum transplantandi iure gaudente, cui praecessit de ICKSTATT in comment. de iure expellendi et transplantandi subditos diversam a territorii Domino religionem amplectentes, in opusc. Tom. I. opusc. V. pag. 296. a quibus duumviris dissentit ENGAV in progr. an cives religionis causa emigraturi queant transplantari. Quae philosophice de hac materia ab utraque parte disputari possunt, adhuc uberius exposuerunt FLEISCHER de iure reformandi et inde dependente iure emigrandi, et HOFFMANN de iure emigrantium propter religionem.

Tota, me iudice, controversia facili derimenda est negotio verbis legum Imperii nostri publicarum, quae in Recessu Imperii de 1530. §. 60. ita se habent; *Dazu wollen wir aus Kayserlicher Macht denenselben Bürgern, Bürgerinnen und Einwohnern, so noch des alten christlichen Glaubens sind, und darauf beharren, ihrer Gelegenheit nach mit ihrem Leib, Haab und Gütern*



tern einen freyen Ab- und Zuzug der gemeldeten obrigkeitlichen Städte, Orth oder Flecken, ohn Beschwer einiger Nachsteuer, oder Abzug ihrer Güter, und unverhindert iedermänniglich, zugelassen und bewilliget haben. *Sublata deinde immunitate a consuetudine emigrationis, utrique tam catholicae quam evangelicae religioni addictis subditis idem ius libere emigrandi stabilitum est in Pace relig. art. XI. et in recess. imp. de 1555. §. 24. his verbis: Wo aber unsere auch der Churfürsten, Fürsten und Staende Unterthanen der alten Religion oder Augspurgschen Confession anhängig, von solcher ihrer Religion wegen aus unsern auch der Churfürsten, Fürsten und Ständen des heiligen Reichs Landen, Fürstenthümern, Städten und Flecken, mit ihrem Weib und Kindern an andern Ort ziehen und sich niederthun wolten, denen soll solcher Ab- und Zuzug auch Verkaufung ihrer Haab und Güter, gegen ziemlichen Abtrag der Leibeigenschaft und Nachsteuer, wie es jedes von Alters anhero üblich hergebracht, und gehalten worden ist, unverhindert männiglich zugelassen und bewilliget, auch an ihren Ehren und Pflichten allerdings unentgoltten seyn; doch soll denen Obrigkeiten an ihren Gerechtigkeiten und Herkommen, der Leibeigenen halber, dieselbe ledig zu zehlen oder nicht, hiedurch nichts abgebrochen oder benommen seyn.* Subsequenti tandem saeculo et finitis belli tricennalis calamitatibus, in Pace Westphalica non liberae solum emigrationi plures additae sunt determinationes, sed coacta etiam emigratio extra controversiae aleam est posita, uti luculenter patet ex *Art. V. §. 36. et 37. Pacis Westph.* quo legis nostrae fundamentalis textu lis est sopita, acriter magnoque fervore inter utrique religioni addictos status circa interpretationem modo allegati art. XI. pacis relig. ventilata, de qua lite pluribus commentati sunt CRAN *de pace relig. part. 2. in princ.* BURCHARDVS *in autonomia* oder kurzen *Vorstellung der Religion.* Evangelici enim liberam tantum, minime coactam, Catholici contra et liberam et coactam defenderunt emigrationem, *COTREJVS ad pacem relig. Art. XI. pag. 228.* Duravit haec contentio a pace Religionis usque ad pacem Westphalicam, et magnopere aucta est gravaminibus bello tricennali causam dan-

dantibus. Durante tractatu super Pacem Westphalicam verbis scriptisque iterum hac de re disceptatum est, teste MEYERO in *actis P. W. Tom. III. Lib. XV. §. III. pag. 553.* usque dum Evangelici suam deseruerint sententiam, et coactam aequae ac liberam concesserint emigrationem, in ante allegatis textibus Pacis Westphalicae claris scriptam verbis.

Disiunctivus ex eo enatus est reciprocorum iurium et obligationum, tam Imperantium quam subditorum cumulus. Imperantium scilicet est, aut patienter tolerare, aut emigrationem iubere subditis diversae religionis. Subditos autem oportet, aut manere aut emigrare. Licet regula Pacis Westphalicae in modo dictis consistat, exceptio tamen non reiicienda pactis Imperantem inter et subditos ad eum introducta finem, ut emigratio coacta plane cesset, uti recte monuit FLEISCHER in *diff. de iure reformandi et inde dependente iure emigrandi §. XLVII. pag. 71.* Nostris omnino temporibus, luce sanae rationis et politiae clarioribus, vix unquam porro contingeret emigratio coacta, cum exemplis regis Galliae et Archiepiscopi Salisburgensis, Imperantium amborum ante tempora nostra regnantium, apparuerit, quantum regno territorioque sit damnum, subditos expellere alioquin utiles morigerosque ob solum religionis dissensum. Borussiae et contrario et Hollandiae luculentissima praebent vestigia emolumentorum tolerantiae fecus sententium, et exinde profluentis incrementi civium, divitiarum et potentiae. In hisce certe regnis non eveniret, quod tempore *Herodis* in Iudaea, sat truculenter occidendo omnes infantes binos annos non egressos, factum esse, in sacra legitimus Scriptura. Quae autem hac occasione prudenter et instinctu divino incepta est fuga *Iosephi* cum *Maria* et *CHRISTO* infante, nobis salutari esto incitamento, ad fugienda peccata, omnesque peccandi ansas, praeceptis aequae divinis nobis veritas. Quod ut fiat, sit nobis obedientia *Iosephi* in arripiendo fugam Aegyptum versus, acceptum gratumque exemplum obediendi Deo omnipotenti, eiusque mandatis in sacra Scriptura

nobis revelatis. Inter quae cum etiam sit celebratio dierum festorum, haud leve nobis erit incitamentum, omni, qua decet et qua par est, pietate, celebrandi dies festos, natalibus CHRISTI Servatoris nostri dicatos. Nullus ergo dubito, quin vos, O. O. cives honoratissimi, huic adhortationi pronas praebituri fitis aures.

PUBLICATVM SVB SIGILLO RECTORIS.
 ROSTOCHII D. XXV. DECEMBRIS
 MDCCLXXVIII.




ULB Halle
004 517 601

3



TA → OL f
nur 1+8 verknüpft





20

DE

DIFFERENTIIS QUIBUSDAM IVRIS
FUGAM INTER ET EMIGRATIONEM
TAM VOLUNTARIAM QUAM COACTAM,
PAUCA DISSERIT,

1778, 2

3

SIMVLQVE

AD DIEM NATALEM
NOSTRI SERVATORIS

PIE CELEBRANDVM,

P. 12.

O. O. CIVES ACADEMICOS

ADHORTATVR,

HOC TEMPORE ACADEMIAE RECTOR,

WALTER VINCENT WIESE

I. V. D. ET P. P. O.



KENNEDY
UNIVERS.
ZVHALIE

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.